

sedato animum: si non praevalueris, frenos linguae impone tuae: deinde reconciliationis studium non praetermittas. Haec oratores saeculi de nostris usurpata in suis posuere libris. Sed ille sensus hujus habet gratiam, qui prior dixit. Vitemus ergo, aut temperemus iracundiam: ne sit ejus aut in laudibus exceptio, aut in vitiis exaggeratio. Non mediocre est mitigare iracundiam: non inferius, quam omnino non commoveri. Hoc nostrum est, naturae illud. Illae denique commotiones in pueris innoxiae sunt, quae plus habent gratiae, quam amaritudinis. Et si cito pueri inter se moventur, facile sedantur, et majori suavitate in se recurrunt. Nesciunt se subdole artificioseque tractare. Nolite hos contemnere pueros, de quibus Dominus ait: Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum <sup>1)</sup> Itaque et ipse Dominus, hoc est, Dei virtus sicut puer, cum malediceretur, non remaledixit: cum percuteretur, non reperiussit. Ita ergo te compara, ut quasi puer injuriam non teneas, malitiam non exerceas: omnia a te innocenter proficiscantur. Non consideres quid ab aliis in te referatur. Locum tuum conserva, simplicitatem et puritatem tui pectoris custodi. Noli respondere irato ad iracundiam ejus, sive imprudenti ad imprudentiam ejus. Cito culpa culpam excutit. Si lapides teras, nonne ignis erumpit? Ferunt gentiles, ut in majus omnia verbis extollere solent, Archytae Tarentini dictum philosophi, quod ad villicum suum dixerit: O te infelicem, quam te afflicterem, nisi iratus essem? Sed etiam David, et armatam dexteram in indignatione compresserat. Et quanto plus est non remaledicere, quam non vindicare? Et bellatores adversus Nabal ad ultionem paratos, Abigail deprecatione revocaverat. Unde advertimus tempestivis quoque intercessionibus non solum cedere nos, sed etiam delectari oportere: Eo usque autem delectatus est, ut benediceret intervenientem, quod ab studio vindictae revocatus foret. Jam dixerat de

---

1) Matth. 18.